



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE XXVIII. JANUARI.



Isbona, a. d. 30. Dec.
Ferunt constituisse regem nostrum, ut diuersa, quæ per regnum constituta sunt iudicia nummaria, aduentur, neque

amplius in tot diuisa classes maneant. Tariffa nuntiatum nobis est non ita pridem viginti nauigia frumento, aliisque rebus ad vitam sustentandam pertinentibus onusta, Septam esse dimissa, incolas enim loci illius, alimentorum inopia valde laborasse hactenus, tantamque in terris, quas Mauri inprimis tenent, annonæ difficultatem esse, ut prostrata passim, Maurorum fame extinctorum, corpora, in campis reperiantur.

Madritti, a. d. 2. Ianuarii. Ormun-

us dux, qui in hac vrbe viuit, precibus rogauisse regem dicitur, ut propius apud regem magnæ Britanniae caussa adniteretur, efficeretque, ut sibi, in gratiam aliquando recepto, pars bonorum restitueretur. Quos nuper sacri officii inquisitores, in carcerem abripi iusserat duos homines hæreseos accusatos.

Ex Portu Liburno, a. d. 2. Ianuarii.
Litteris Florentia missis accepimus, Theodorum principem *Electorem Bavaricum*, Episcopum Ratisbonensem, illic exspectari, eum enim Senam studiorum consummandorum gratia, proficisci. Telone Martio nuntiatum est, sacra publica iam in omnibus vrbis eius Templis procurari, nec non examina catechetica, maxima vulgi frequentia institui, neque quidquam de lue pestifera,

fera, quæ Dei gratia est, iam obseruari. Sed Auenione singulis diebus plus minus 140. homines eadem corripiti.

Parisiis, a. d. 2. Ianuarii. Nudius ahinc tertius solemnior illa saltatio, cui a quatuor elementis nomen fuit inditum, præfente rege, duce Aurelianensi, multisque aliis regiæ stirpis principibus, in theatro palatii Thuilleriani peracta est. Ipse rex & initum & finem saltandi fecit, cuius elegantes ac decoros, in tam tenero corpore motus, omnes, quotquot aderant, maximopere sunt admirati.

Alia, a. d. 5. Ianuarii. Proximis hisce diebus, tres adolescentes, splendidas induti vestes, mercatorem quendam strictis ensibus adgressi, crumenam quam apud se cum nummis habebat sibi dari petierunt, quam is, ut vitæ periculum effugeret, protinus eis tradidit, sed quum paullulum ab eo fuissent digressi, voce sublata homines obuios latronibus factos adclamauit, qui duos ex illorum numero prehenfos, in custodiam publicam deduxerunt. Principem Monpensieriam, simulac Lermam peruenerit, cum Principe Asturiæ, qui eam ibi opperitur, ritu solemni, matrimonio iunctum iri adiunt.

Dublina, a. d. 21. Decemb. Irrita fuerunt nostrorum consilia, quæ de mensa constituenda publica ceperant. Nam, patres curiæ vtriusque conscripros, communi nomine gratias egisse, audiimus regi, propterea quod is insigni erga ciues suos amore ductus, arbitrio patrum rem eam permittere voluerit. „Posteaquam enim, inquit, diu multumque de eiusmodi mensa, in his „regionibus constituenda, deliberauimus, & hono publico, & libertati eam „minus esse proficuum, animaduerti-

„mus. Litteræ quoque Graftonio, „proregi exhibitæ fuerunt, quibus itidem ei gratiæ aguntur, quod pro ea, qua pollet, auctoritate, nihil temere statuere, sed omnia patribus expendenda relinquere voluerit. Cumq; ad aures peruenit patrum, inuentos fuisse quosdam ex priuatis hominibus, qui de instauranda mensa contulerint consilia, illi communi omnium suffragio decreuerunt, ut ciuium indignatione non solum digni haberentur, sed etiam patriæ declararentur hostes, qui de re, cum damno publico coniuncta, deinceps clam palamue quidquam sancire instituerint.

Londini, a. d. 31. Decemb. Siquid rumori, qui vulgo emanauit, credendum est, classis, quam in Indiam occidentalem destinaueramus, non prius in altum deducetur, quam cursor a legato regis Lusitaniæ Olyssipponem missus ad nos redierit. Is enim, quem diximus, legatus aliquoties Cartererum adiit, & regem Lusitaniæ velle, adseueravit, ut controuersia propter Windfieldium suborta, bona vtriusque partis gratia componatur. Guielmus Mannerus, in Belhauii, qui olim principi Walliæ a cubiculo fuit, & naufragio periit, locum susceptus est. Nudius tertius Scarboroughius, comes, & in familia principis Walliæ stabuli magister, inopina morte decessit, cuius bona Lumleius, filius natu maximus hæreditate accepit. E Britannia minore tristissimi nobis veniunt nuncii, qui plurimas naues, atque inter eas, Neptuni, Cathariæ, & Vigilantiæ nomine insignitas, fluctibus quassatas, & mari haustas, commemorant.

Alia, a. d. 6. Ianuarii. Rex noster, postquam ei omnes aulæ proceres, ceterique viri principes, de felicibus

noui anni auspiciis gratulati fuissent, vna cum principe Valliæ, *equitibus ordinis periscelidis* stipatus, in sacrarium arcis S. Jacobi, se contulit atque ibidem S. *Domini cana* usus est.

Hafnia, a. d. 4. *Ianuarii*. Ad *Restu- chouium*, Russorum oratorem, cursor ante biduum accessit. Petropyrgo missus, mandatorum, quæ ei adtulit præcipuum id esse alunt, vt de libero nauium Russicarum per fretum Danicum transitu, cum rege nostro transigat; quapropter anxie iam omnes expectant, quid responsi a rege sit laturus. Ceterum breui legatus aliquis extra ordinem in Sueciam abiturus est, tametsi, cur id fiat, nemo adhuc perspicere possit.

Hamburgi, a. d. 8. *Ianuarii*. Octo milites, qui *Wolfradum* consiliarium, & *Scharfium*, libellorum magistrum e custodia, qua captiui detinebantur, liberare voluerant, iussu ducis Megapolitani, grauissimo adfecti supplicio, & a carnifice in quatuor dissecti partes fuerunt.

Dresda, a. d. 10. *Ianuarii*. Hesternæ die *Excellentissimus Comes Flemmingius*, summus copiarum dux, *Lipliam* discessit, paucos tamen post dies eum ad nos reuersurum credimus. Eadem die, vesperscente iam cælo, regina salua & incolumnis cum vniuerso comitatu ad nos accessit. Ceterum ludi, qui hoc anni tempore institui solent, tum in vrbe passim, tum, & imprimis quidem, in aula magnificentissime apparantur; ne quid vero turbarum circa eos exoriat, per omnes vrbis plateas, vigiles quamplurimi ex præsidiariis non minus militibus, quam ex ciuibus, sunt constituti.

Berolini, a. d. 5. *Ianuarii*. Ferunt regem nostrum, legato suo, qui Pe-

tropyrgi est, dedisse in mandatis, vt *Magno Moscouiæ Duci*, de titulo, quem sibi nuper adsciuit, publice congratuletur, *Serenissimus dux Megapolitanus* vna cum coniuge, partui per quam vicina, in vrbe nostra moratur.

Holmiæ, a. d. 17. *Decembr*. Imperatoris Romanorum legatus, *Comes Freytagius*, omnibus viribus id agit, vt legatos nostros ad conuentum *Brunsuigæ* instituendum mittamus; sed vix quidquam eum obtenturum aiunt, quod, cur id fieri debeat, causæ vrgentes haud inueniantur, adeoque sumtibus non necessariis, parcendum omnino esse omnes existiment. *Augustus Polonorum* rex, litteras ad regem nostrum dedit humanitatis plenissimas, in quibus ei, quod, quæ inter aulam vtramque supersunt adhuc dissidia, per legatos partis vtriusque componenda decreuerit, verbis conceptis gratias agit, atque rogat, vt legatos suos, quibus id negotii dare libuerit, mandatis necessariis instructos, quamprimum mittat.

Petropyrgo, a. d. 15. *Decembr*. Certo iam fore aiunt, vt *Magnus Russorum* dux post hosce sex dies, id est 20. mensis præsentis, iter *Moscua* versus suscipiat, quem deinde coniux eius die 26. nec non *Holsatiæ Dux* die 29. subsequenter. Proceres autem nonnulli præcedent, nonnulli vero, inteirecto aliquod dierum spatio, sequi debebunt, eo quod omnibus vna profecturis, iumenta sufficientia in itineribus, per quæ transeundum fuerit, haud cogi possent. Ceterum de coniugio *Ducis Holsatiæ*, cum *Anna* principe *Russica*, nihil amplius dubitari debere, ferunt, quin & id agi, vt altera *Magni Ducis* filia, *Duci Carnutensi*, *Ducis Aurelianensis* filio, in matrimonium detur. Principes certe

te hæ sorores ita sunt educatæ, vt non virtutes solum principibus feminis dignissimas, sed & Gallicæ non minus quam Germanicæ linguæ peritiam, omnes in eis admirentur. Fama præterea percrebuit, legatum cuiusdam Principis exteri, id accepisse in mandatis, vt nomine principis sui Magno Moscouiæ Duci, Imperatoris seu Cæsaris Russiæ titulum semper in posterum tribuat.

Venetis, a. d. 10. Ianuarii. Ludi, quos Bacchanalia vocamus, nudius ab hinc quartus celebrari iam cœperunt, ex quo tempore complures iam homines larvas indutos in vrbe conspiciere licet.

Genuæ, a. d. 3. Ianuarii. Diebus Lunæ ac Solis, vndecim naues peregrinæ in portum nostrum sunt appulsæ, quarum sex ad Anglos pertinent, inter quas duæ bellicæ sunt, quatuor reliquis, quæ magnas pecunias vehere dicuntur, præsidio seruientes, has vento secundo vsos fuisse inde constat, quod septem dierum spatio, e portu Gaditano ad nos accesserunt. Duæ præterea illarum nauium ex Portugallia, sacharum, atque nicotianam herbam vehentes; aliæ Duæ Burdegala venerunt; vnica tantum est Genuensium, Alone redux facta. *Auenantiis*, regis magnæ Britannæ orator superiori hebdomade ad serenissimum ducem nostrum accessit, eique de feriis, quibus memoria natiuitatis Iesu Christi recolitur, more consueto gratulatus est. Saltationes hic apud nos toto hoc bacchanaliorum tempore libere cuius instituire, nequaquam, tamen larvis vti licebit.

Vienna, a. d. 21. Ian. Proxime præterlapsis diebus, complures viri principes, ex more adulto conuiuia agere cœperunt. Fecit idem hesternæ die

Baro ab Huldeberg, regis magnæ Britannæ extraordinarius legatus, inuitatis ad epulas apparatusissimas proceribus quam plurimis, inter quos in primis, fuere: *Maximilianus* Dux Hanoueranus, idemq; regis Magnæ Britannæ frater, Emanuel princeps Portugallicus, itemque Holsatiæ dux, cum compluribus feminis principibus, ex Augustæ Imperatricis, atque viduæ Iosephi, comitatu. Postquam cœnatum est, saltationes subsequutæ sunt, quas tum demum finiuerunt, cum nox iam in diem ire cœpisset.

Alia, a. d. 24. Ianuarii. Nudius quartus, vestimenta militaria, legioni Heisterianæ, quæ in Transyluania est, destinata, currubus imposita sunt. Proxima die Iouis, quæ fuit 20. Ianuarii, S. R. Imperii princeps *Waltherius Xauerius Ditrichsteinius*, ab Imperatore Augusto, consilio sanctiori adscriptus est, quo loco iam olim apud *Leopoldum & Iosephum* Imperatores, annos complures fuerat, hodie itaque primum ad consilium, cui & ipse Imperator intererat, venit.

Pofonii, a. d. 28. Ianuarii. *Excelsa Regiaque Commissio* tota in eo est, vt voluntati Imperatoris indulgentissimi, quam primum satis fiat, atque negotium sibi demandatum, ad finem ante perducatur, quam publicus regni instituat conuentus. Vtvt autem nulli omnino parcatur tempori, finem tamen consultationibus ante duorum mensium decursum imponi vix posse existimamus. Ceterum tanta hic frigoris inde iam a diebus quatuordecim vis est, vt metus eorum haud inanis videatur, qui illud vitibus calamitatem allaturum existimant.